

*in gaudio de fontibus Salvatoris*. In iisdem proinde operatus est ut verus Deus, & ut verus homo; ea videlicet instituens, quæ nonnisi Deus instituere posset, & modo illo nobis eadem exhibens, quo nobis offerre non voluisset, nisi ut homo pariter, & ut Deus. Hinc, ut loquuntur Ecclesiæ Patres, Sacramenta sunt insigniora Fidei nostræ ornamenta, validiora animarum nostrarum fulcra, & præstantiora Religionis nostræ præsidia, quæ quidem nec in Mofayca Legge fuerunt, uti sunt in nostra, nec in superstitionibus Sectarum potuerunt unquam esse, quarum erat institutum fabulas, non misteria, quæ homines justificare possent, proferre, quidquid dixerit impius *Warburton in Divina Moyfis legatione lib. 2. sect. IV.* Agnoscimus ergo nos Ecclesiæ filii, tantam esse Sacramentorum utilitatem, & necessitatem, ut sine illis, in præsentium rerum statu & ordine, nec possemus vitam accipere, nec ad vitæ gloriam aspirare. Argumentum etiam luculentissimum præstantiæ, & utilitatis Sacramentorum est Hæreticorum fere omnium conatus, & quidem fortis, & implacabilis, ut ea vel de medio tollerent, vel ab Ecclesia deturbarent, vel fallaciis, mendaciis, & superstitionibus suis sædarent, quod quidem in harum prælectionum decursu cernere & observare licebit. In hisce enim prælectionibus instituti nostri ratio hæc est: Hæreticorum errores enarrare, & refellere, ut temper Catholica doctrina dignior in Ecclesia constet, & ab omni detecta falsitate catholice sentientibus proponatur.

Accipite ergo, Lectores carissimi, hunc qualemcumque laborem, quem nos, post Dei gloriam, ad profectum quoque vestrum, & utilitatem ordinasse ingenue fatemur. Quod si ad mentem accesserit, & voto responderit, vos impense rogamus, ut existimantes nos, sicut revera sumus, inutiles servos, qui nihil de nostro habemus nisi mendacium & peccatum, JESU CHRISTO Domino nostro bonorum omnium in ordine naturæ, gratiæ, & gloriæ largitori, gratias reddatis; si quid vero offenderitis, quod rectæ Fidei conforme non sit; pro non dicto habeatis, nos enim sincero animo,